



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Oratio qua Episcopatum recusat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

*Oratio qua  
Episcopatum  
recusat.*

tentaturum. Inuitat subinde Petrum, ac tempore  
stiuè, & meditatus quid agatur, quantus aperia-  
tur de Ecclesia Dei bene merèdi campus, eloqui-  
tur. Cumq; mentionem eiusmodi animo ille, au-  
ribusq; respueret, Age, inquit, profer in medium,  
quid ita tantopere commoueare. Aderat, & Col-  
legij Rector Nicolaus Lanoius, cuius in literis hec  
hodieq; disputatio extat. Suboluerat paulò ante  
& res, & princeps autor Canisio. Eo minus subita  
appellatione commotus, in hunc modum re-  
spondit. Ante omnia, inquit, cum constet mihi  
inuentorem huius consilij esse Doctorem Bur-  
cardum, satis apparet nequaquam illud à Spiritu  
sancto, sed à carne, & sanguine proficisci. Neq; id  
ego solum, sed populus mecum intelligit, cui  
nunquam illa abstergetur opinio, me studio, &  
ambitione, si non mea, certe Nouercæ meæ fra-  
tris Episcopale solium inscendisse. Atqui nemo  
assumit sibi honorem, sed qui vocatùr à Deo. Me  
verò neutiquam vocari à Deo, non solum inde  
intelligo, quod eam cogitationem nemini Præ-  
positorum ille iniecit: sed multo etiam clarius,  
quod ad vitæ diuersum hoc genus iam pridem  
indubitanter vocauit. Habeo voluntatis huius  
certif-

certissima pignora, cum alia, tum tranquillitatem animi, & summam iucunditatem, quam semper in hac priuata sorte, ac paupere sum expertus; & aliquem etiam rerum, quas interim tractaui, successum. Vnusquisq; autem diuinitus admonetur vt in Vocatione permaneat, qua vocatus est. quæ cum à Deo sunt, ordinata sunt: longeque abest vt promiscuè omnia ab omnibus ille desideret. Qui cum omnia suos ad exitus tam sapienti, mira que descriptione dirigat, ac perducatur, si quem per honores Ecclesiasticos velit sibi famulari, non vtiq; ad eam societatem vocet, in qua eiusdem (vt pro certo habeo) instinctu, & consilio omnis est ad honores illos aditus interclusus. Posset quoque haberi ratio publicæ utilitatis. Nam, si quid facultatis in me est, id multo cum pluribus communicare licebit, si quocumque aduocarit vsus, expedito integrum sit accurrere, quam si vnica in sede affigar. Quippe Apostoli quoque (tametsi quis ego sum?) plus afferebant utilitatis per totum orbem terrarum liberè discurrentes, quam Titus, aut Timotheus intra limites angustos Ecclesiæ vnus inclusi. Denique status rerum hoc tempore eiusmodi est Viennæ, tanta errorum colluies, tantum

tum à iustis Pastoribus, & à Romana sede diffi-  
dium, multo vt videatur expeditior via reipubli-  
cæ subleuandæ per vulgaria misericordiæ opera  
per conciones populares, per familiaria passim  
colloquia, quam per honores, & potestatem.

*Oratio qua  
urgetur ad  
accipiendum  
Episcopatum*

Vixea Canisius exprompserat, cum Marti-  
nengus contra magno ardore, & clamore coori-  
tur. Propterea enim elicuerat, vt, quemadmodum  
sibi videbatur, liquidò demonstraret prorsus ina-  
nia esse. Miror, inquit, istam sapientiam, ac sancti-  
tatem talia comminisci. Vocationem diuinam  
requiris, quasi clarior sit expectanda vox, quam  
tot misere pereuntium clamor & sanguis anima-  
rum? Non est à Deo consilium, quoniam Burcar-  
do primum venit in mentem: quasi Christi mors  
qua redemptum est genus humanum à Deo non  
fuerit, quia Caiphas dixit, Præstat vnum homi-  
nem mori pro populo. Quietem in vita ista sum-  
mam expertus es. Vide Pater ne ista insidiosa si-  
quies: & nomine humilitatis obtendatur cupido  
ocij, ac libertatis. Quid enim, si cordi essent æ-  
rumne, potius quam hanc occasionem arriperes?  
Sella ad quam eueheris, non gradus honoris est,  
& quietis (vt vides) sed laboris, atque Martyrij.  
Quod